

DE CONDITIONIBUS MATRIMONIO APPOSITIS

Quaeritur: *An Ecclesia condiciones matrimonio appositas, ad modum fictionis iuris, pro non apposis habendas esse statuere possit?*

Si omnes, sine discrimine, condiciones matrimonio fors sit an appositas prae oculis habes, probati Auctores offirmate contendunt, quaestioni negative respondendum esse seu ne ab Ecclesia quidem condiciones possibles atque serio appositas, ad modum fictionis iuris quae nullam (sive directam, sive indirectam) admittat probationem in contrarium, pro non adiectis haberi posse. Autumant illi, responsionem affirmativam cum dispositione can. 1081, § 1, repugnare¹. Quo non obstante, quidam verba can. 1092, n. 1.—“pro non adiecta habeatur”—ita interpretari malunt ut conditio necessaria vel impossibilis vel de futuro turpis (non tamen contra matrimonii substantiam) non matrimonium vitiet sed ipsa, ad modum fictionis iuris, vitietur². Plerique tamen contrarium sentiunt et, etiam ad can. 1092, n. 1.º quod attinet, de praesumptione iuris dumtaxat sermonem fieri posse enuntur³.

Praenotandum est quod can. 1092, n. 2.º, nulla enuntiatur dispositio nisi eadem atque can. 1086, § 2. Consulto tamen omittimus, in hac nostra disquisitione, de simulatione matrimonii, eaque sive totali sive partiali, agere.

Restat proinde ut quaestionem examinemus, utrum Ecclesiae competeret —dummodo scl. Ipsa vellet—, dispositionem can. 1092, nn. 1.º et 3.º et 4.º ita immutare ut deinceps omnis prorsus, sine discrimine, conditio matrimonio apposita, ad modum fictionis iuris, tamquam non adiecta censi deberet, an innovationi huius generis ius ipsum naturale obstet. Seu: Possetne Ecclesia dispositioni can. 1092, nn. 1.º et 3.º et 4.º, hunc vel quasi tenorem obrogare: “*Conditioes matrimonio appositae pro non adiectis habentur*”? Mox diximus, id a plerisque Doctoribus explicite negari.

Quum ad condiciones matrimonio appositas animum convertamus, prius in locos Codicis Iuris Canonici parallelos, clausulam “tamquam non adiecta habeatur” adhibentes inquiramus oportet. Statutum est enim condiciones ante electionem canonicam suffragio appositas (can. 169, §2), condiciones compromisso contra ius adiectas (can. 172, § 3), voluntatem corpus cremationi tradendi, contractui testamentove aut alii cuilibet actui appositam

¹ Cf. J. BĀNK: *Connubia canonica* (Romae, 1959), p. 430.

² F. TRIEBS: *Praktisches Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts* (Vratislaviae, 1929), p. 529.—M. FERRABOSCHI: *Il matrimonio sotto condizione* (Patavii, 1937), pp. 113-122.—O. GIACCHI: *Il consenso nel matrimonio canonico* (Mediolani, 1950), pp. 140-147.

³ Cf. J. BĀNK, *op. cit.*, p. 432.

(can. 1203, § 2), item clausulas iuri Ordinariorum executioni piarum voluntatum invigilandi contrarias, ultimis voluntatibus fors adiectas (can. 1515, § 3) pro non adiectis haberi. Utrum de praesumptione iuris an potius de fictione iuris, hisce in normis, agatur, Doctores plerumque silentio praetereunt. Quidam eorum in genere enuntiant tantum, clausulas iure reprobatas minime observandas esse⁴, alii tamen praesumptionem corruiere affirmant, sicubi negotium huic voluntati, etsi iuri contrariae, alligatum fuisse evincatur⁵. At cl. mus K. Mörsdorf canonibus Codicis Iuris Canonici supra invocatis fictionem iuris stabilitam esse docet⁶. Neque a quoquam hucusque addubitatum fuit utrum haec vera esset sententia an non.

Sed dispositionibus iuris mox allegatis nihil de matrimonio sub conditione inito probari posse Doctores uno ore contendunt, quatumvis canonibus citatis fictio statuta sit iuris. Effatum Pii Pp. VI contestantur dicentis: "Hic contractus sc. matrimonialis etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per leges suppleatur, in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat"⁷. Qua Summi Pontificis enuntiatione, alunt, omne sublatum est dubium. Sicubi conditio cui alterutra pars consensum suum alligaverit deficiat, deesse dicatur oportet ipse consensus⁸.

Salvo tamen debito honore, sententiae eorum haud accedendum esse nobis videtur. Tametsi cl. mus F. M. Cappello fidei proximam esse asserit doctrinam sec. quam sacramentum contractus matrimonii consensu contrahentium, tamquam causa efficienti, producatur⁹, persuasum nobis habemus, liberum adhuc esse ut in quaestionem inquiratur: utrum Ecclesia omnes condiciones, matrimonio fors appositae tamquam non adiectas habere possit an non. Prout benevolo Lectori videre erit, hac vice in id minime inquirimus, quidam iuris Ecclesiae circa consensum matrimonialem competat. Contendimus tamen, Ecclesiae non esse supplendum consensum matrimonialem sicubi Ipsa statueret quod condiciones matrimonio fors adiectae posthaberentur.

Hictorice nulli profecto subest dubio quod ius canonicum ante saec. XII nullitatem materimonii ex capite conditionis non adimpletae omnino ignora-

⁴ U. BESTE: *Introductio in Codicem*, ed. IV (Neapoli, 1956), p. 810.—F. M. CAPPELLO: *Summa iuris canonici*, vol. II, p. 351.—Alii Auctores verba dumtaxat Codicis I. C. ad amussim referunt.

⁵ F. CLAEYS BOUUAERT, "Condition": *Dictionnaire de Droit canonique*, vol. IV, col. 5. MICHIELS: *Principia generalia de personis in Ecclesia*, ed. alt. (Lutetiae Parisiorum, 1955), p. 604.

⁶ E. EICHMANN et K. MÖRSDORF: *Lehrbuch des Kirchenrechts*, ed. VIII (Paderbor-nae, 1953), vol. I, p. 105; pp. 296-297; vol. II, p. 324; p. 484.

⁷ Cit. apud F. M. CAPPELLO: *De matrimonio*, ed. V (Augustae Taurinorum et Romae, 1947), n. 571.

⁸ Cf. J. BÁNK, *op. cit.*, p. 430.

⁹ *Op. cit.*, n. 32.

vit¹⁰. Quod si sententiae eorum, qui nullitatem matrimonii hoc ex capite a dispositione iuris naturae repeterent, astipularemur, admittere nos oporteret quod Ecclesia per tot saecula iuri naturae offendisset illudve neglexisset, ingentem fors sit an invalide coniugatorum multitudinem, districtione etiam canonica, ut in contubernio illicito criminosoque viverent compellens, seu ut conditioni prius appositae valedicerent obstringens. Quod sane absonum esset. Neque obicias quod homines illi de conditione contractui matrimoniali adicienda ne cogitaverint quidem. Quidquid enim de obiectione sit, supposito quod nupturientes usque ad saec. XII conditionem matrimonio apponi valere ignoraverint, exurgit quaestio: a quonam inde a saec. XII didicerint, matrimonium sub conditione iniri posse? Nonne lege Ecclesiae, ex iure romano Iustiniano de contractibus libata?

Relictis temporibus praeteritis, ad ius canonicum vicens animus advertamus.

Ait can. 1081, § 2: "*Consensus matrimonialis est actus voluntatis*". Est ergo psychologicum quid, iisdem psychologiae legibus normisve rectum atque alii quivis actus voluntatis. Volitioni praecesserit oportet cognitio; nihil namque volitum nisi et quatenus praecognitum¹¹. Obiectum formale *quod* voluntatis est ens appetibile ab intellectu apprehensum et praesentatum. Obiectum formale *quo* eius autem est ratio appetibilitatis, item ab intellectu apprehensa et praesentata, voluntatem movens. Ad consensum matrimonialem quod attinet, obiectum formale *quod* eius verbis can. 1081, § 2, definiri videtur: ius in corpus perpetuum et exclusivum, in ordine ac actus per se aptos ad proli generationem. Etsi definitio ista legalis difficultatibus minime vacet, eam nunc admittamus. Obiectum formale quo consensûs matrimonialis Codex Iuris Canonici plerumque haud inquirat. At can. 1084 expressis verbis obiecti formalis *quo* possibilis mentionem facit: "Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, *etsi det causam contractui*, non vitiat consensum matrimonialem." Item ad aliud obiectum formale *quo* consensûs possibile refertur can. 1083, § 2: "Error circa qualitatem personae, *etsi det causam contractui*, matrimonium irritat tantum: 1.º Si error qualitatis redundet in errorem personae; 2.º Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta."

Consulto praetermittimus in quaestionem inquirere, quonam pacto dispositio can. 1084 cum illa can. 1081, § 1, conciliari queat. Nihil namque volitum nisi et quatenus cognitum. Quod si unitas indissolubilitasque ad substantiam obiecti consensûs matrimonialis pertineant (cf. can. 1086, § 2, et canon 1092, n. 2.º), eas ignorando voluntas in eas intendere non potest. "Voluntas

¹⁰ Quonam pacto matrimonium conditionatum pedetentim in Ecclesia evolutum fuerit, legere potes apud: B. TH. TIMLIN: *Conditional Matrimonial Consent* (Washingtonii, 1934), pp. 3-69, et S. FRAGHI: *De condicionibus matrimonio appositis* (Romae, 1941), pp. 1-25.

¹¹ G. MICHIELS, *op. cit.*, p. 586.

trahi non potest ad incognita et ignorata vel etiam incogitata tempore contractus." Neque —prout nobis videtur— huic contradictioni opinio cl. mi G. Michiels medetur qui asserit perpetuitatem et exclusivitatem non immediate a voluntate contrahentium, sed a voluntate divina causari atque automaticè exurgere, ita ut obiectum substantiale consensûs matrimonialis in traditione mutua iuris in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem reponendum sit¹². Haec enim si vera esset sententia, nullum intercederet discrimen inter matrimonium interque concubinatum, vel dicendum est fors sit an, obiectum consensûs matrimonialis can. 1081, § 1, non adaequate definitum esse. At haec dixisse sufficiat.

Nostra nunc magis interest, quidnam verba can. 1084: "*etsi det causam contractui*", in contextu considerata, sibi velint. Res sat clara est. Titius uxorem ducit Caiam, falso putans matrimonium quandoque, ex. gr. si res familiaris non bene cederet, dissolvi posse. Hoc est obiectum formale *quod* consensûs a Titio in actu celebrationis matrimonii elicitum et manifestatum. Obiectum formale *quo* autem consensûs eius est: quia falso putat matrimonium non esse indissolubile seu dissolubilitas matrimonii. Haec enim voluntatem eius movet; alioquin Caiam minime nuberet. Matrimonium nihilominus sustinetur. Alium fingimus casum: Titius uxorem ducit Caiam quam putat esse honestam, divitem, etc. Hoc est itaque obiectum formale *quod* consensûs Titii. Obiectum formale *quo* actus voluntatis eius est: quia falso putat Caiam honestam, divitem, etc., dum sit corrupta, pauper, etc. Obiectum formale *quo* consensûs a Titio elicitum manifestatumque sunt ergo honestas, divitiae, etc. in Caia praesuppositae. Hae enim voluntatem eius movent; alioquin a matrimonio cum Caia ineundo abstineret. Matrimonium nihilominus sustinetur. Unde concludere licebit: obiectum formale *quo* consensûs matrimonialis, salva validitate matrimonii, quandoque ab Ecclesia pro non existenti habetur.

Nunc iam ad matrimonium sub conditione contractum redeamus. Sunt qui affirmant, in casu matrimonii conditionati, duas haberi voluntates. "Consensus conditionatus aequivalet duobus actibus positivis voluntatis, quorum unus intendit matrimonium contrahendum, alter consensum limitat, ita ut validus sit tantummodo tum, cum conditioni satisfactum sit"¹³. Aegre tamen sensum huius enuntiationis perspicere valemus. Potestne quis idem simul velle et nolle? Potestne voluntas idem obiectum et appetere et detestari? Potestne idem ens ab intellectu simul tanquam appetibile et detestabile voluntati praesentari?

Alii admittunt quidem, unam dumtaxat etiam in consensu conditionato

¹² Op. cit., p. 657.—Mirum sane quod idem cl. mus Auctor theoriam institutionalem matrimonii ideo praecise reiiciendam esse affirmat quia illa addubitat "que le cause efficiente immédiate de leurs devoirs et droits matrimoniaux soit vraiment et uniquement leur accord, leur convention, et non la volonté supérieure qui les a fixés et déterminés": "Mariage-contrat ou Mariage-institution?", *Apollinaris* XXXIII (1960), p. 108.

¹³ C. HOLBÖCK: *Tractatus de iurisprudentia S. R. Rotae (Graeciae-Vindobonae-Coloniae, 1957)*, p. 199.

haberi voluntatem unumve voluntatis actum, at hanc ipsam voluntatem ipsumve voluntatis actum non absolute, sed conditionate positum esse¹⁴. Quod tamen placitum a plurimis iam, iisque egregiis refutatum est Viris. Ait Ex. mus D. Staffa: "Consensus in matrimonio conditionato est actus voluntatis quae directe et absolute intendit matrimonium ab eventu dependens... ita ut eventus... in consensum... nullimode influat, nec ullum influxum exercere possit"¹⁵. Et addit: "Si momento celebrationis matrimonii conditionati consensus vere matrimonialis non esset, nunquam haberetur in matrimonio conditionato consensus vere matrimonialis: non haberetur momento celebrationis, quia hoc ab adversariis negatur; non haberetur momento verificationis eventus, quia contrahens forte eandem ignorant; fatendum ergo esset haberi matrimonium absque consensu vere matrimoniali"¹⁶. Seu —ut cl. mus I. Dossetti facti speciem complectitur— "voluntas de qua sermo, tamquam actus in se, tamquam volitio, existit et ipso momento celebrationis matrimonii perfecta est; existit quidem absolute, neque coexistit cum aliqua non-voluntate seu non-volitione, alteram volitionem neutralizanti"¹⁷. Tandem cl. mus C. Holböck, de iurisprudencia rotali disserens, ait: "De essentia conditionis appositae est, ut sit accidens consensui matrimoniali, ei intrinsece inhaerens tamquam proprio subiecto quod modificat"¹⁸. Quod si conditio consensui matrimoniali, tamquam proprio subiecto, inhaereat, supponit ipsa consensum; qui, proinde, in se existat oportet.

Quanam igitur ratione consensus in matrimonio absque conditione contracto ab illo in matrimonio conditionato differt? Non ratione obiecti materialis quia tunc consensus verus deficeret ipse¹⁹. Non ratione actus voluntatis quia tunc de consensu nec sermo incideret. Differunt tamen, consensus pure praestitus ab illo conditionato, ratione obiecti formalis quo. In matrimonio sub conditione inito appetitur matrimonium respectu alicuius qualitatis compartis aut alicuius eventus in rerum natura, sive potestativi sive casualis. Frustrata igitur conditione, neque consensus ipse, neque obiectum eiusdem materiale —quippe quod utrolibet idem sit—, sed obiectum formale quo deficit.

Etiam cl. mus O. Giacchi, de theoria consensu matrimonialis disserens, candide fatetur quod inter errorem dantem causam contractui interque conditionem frustratam nihil omnino, ad consensum quod attinet, intercedat discriminis²⁰. Conditio, utique, non praesumitur apponi nisi dubium quid de qualitate quadam compartis emergerit. In errore tamen errans minime dubitat. At haec distinctio in actum ipsum voluntatis, qui est consensus matrimonialis,

¹⁴ Cf. F. M. CAPPELLO, *op. cit.*, n. 625.

¹⁵ D. STAFFA: "De condicione e qua pendet matrimonialis contractus", *Questioni attuali di diritto canonico* (Romae, 1955), p. 223.

¹⁶ *Ibid.*, p. 227.

¹⁷ *Ibid.*, p. 371.

¹⁸ *Op. cit.*, p. 199.

¹⁹ G. DOSSETTI: "La figura del contratto preliminare e il contratto matrimoniale", *Questioni attuali, cit.*, p. 371.

²⁰ *Op. cit.*, pp. 171-174.

nullum exercet influxum. Dubium namque de quo sermo volitionem haud ingreditur; haec etenim —prout supra vidimus— absolute ponitur. Neque obiectum voluntatis dubio illo afficitur; in eo scl. dubium non apparet. Psychologice proinde casus erroris dantis causam contractui aequiperatur illi frustrata conditione. Consensus vero matrimonialis, cum sit psychologium quid, ad tramitem normarum psychologiae diiudicandus est.

Quod si Ecclesiae competat, salvo consensu matrimoniali, obiectum formale quo eiusdem posthabere —prout fit can. 1083, § 2, et can. 1084—, nihil omnino obstat quominus de lege ferenda statuatur, conditiones matrimonio fors sit an appositas, ad modum fictionis iuris, pro non adiectis haberi; hacce dispositione etenim obiectum formale *quo* consensûs dumtaxat posthaberetur. Quaestioni proinde, initio nostrae disquisitionis appositae, respondendum censemus: *affirmative*.

Dr. ALEXANDER SZENTIRMAI